



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 13. Prætor Paraquariæ ab armorum consilio avocatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

pleraque Oniati Provincialis asserta, Frederico Cardinali Botomæo adnitente, diplomate confirmavit: quod huc appenderè non pigebit, ut ab fastidioso negotio se mei me expediam. *Ad perpetuam rei memoriam. Sanè pro parte dilectorum in Christo filiarium Monialium monasterii Sanctæ Catharinae de Senis nuncupati, civitatis Cordubensis, in Indiis Occidentalibus, nobis nuper expositum fuit, quod alias monasterio predicto, per Ordinarium loci Apostolica authoritate eretto, pro felici illius regimine & directione infra scripta statuta, juxta regulas Beatæ Therese, aliquantulum tamen immutatas, edita fuerant, tenoris subsequentis.* (hoc loco de verbo ad verbum Regula ab Episcopo tradita referebatur) Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, Moniales prefatae professionem, servatis alias servandis, emiserint: à nonnullis vero dubitatum fuit, an statuta, necnon professio illorum vigore facta, sint valida. Nobis propterea Moniales prefatae humiliter supplicari fecerunt, quatenus in premissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabili Fratrum nostrorum Sanctæ Romana Ecclesia negotiis Regularium Prepositorum consilio, statuta prefata Apostolica authoritate presentium approbamus. & confirmamus, illisq; inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes ac singulos tam juris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: decernentes statuta predicta, ac professiones hujusmodi, juxta illorum formam factas, validas. In futurum autem superscriptum ritum habitum Monialibus concedendi, à Regula Sancti Dominici sumptum, servari debere, ac irripi & inane si secus super his à quoquam, quavis autoritate scienter vel ignorantiter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, &c. Hoc Pauli Quinti Diplomate accepto, Didaco Torres authoritas, & pax Monialibus professis stetit: sed si vera volumus fateri, sicut Divo Ignatio unum Romæ Monialium monasterium plus olim facessebat molestiæ, quam totius Societatis regimen: sic altera domus Monialium majorem inquietudinem, quam immensæ Provinciæ loca omnia, Petro Oniato & ejus successori conciverunt. Nec dubium fuit, longè consultius utrique futurum, si se ab hac negotiatione abstinuerint.

**P**etrus Oniatus Provincialis, ordinatis Tucumanæ rebus, ad Assumptionis urbem navigans, è Paranensi expeditione Rochum Gonsalvum & Didacum Boroam evocavit, cum utroque de propaganda per Paranam Fide, & de modo Urvaicensis Provinciae subjugandæ, consultaturus. Auditis vero eorum sententiis, in magnam spem venit Christianum imperium per utramque regionem Apostolico marte dilatari posse. Tantæ spei unctione officiebat Ferdinandi Aria Prætoris intempestiva magnanimitas, volentis Urvaicenses populos haec tenus intactos, armata manu adire; & jam fecerat decretum, quo jubebat Hispanorum plerosque huic militiae nomen dare: quam rem Socii, missionibus destinati, ægerimè ferebant, affirmantes ostentatione armorum Paranenses, per quorum ditionem eundum erat, turbatumiri: Urvaicenses vero semel armis exacerbatos, difficile postea Legem Christianam recepturos. Cùm nihilominus Prætor in opinione persisteret, Provincialis iussu Rochus Gonsalvius, affinitatis titulo ab Prætoris offensione satis tutus; liberè & modestè rogat ne bellum, Reipublicæ Christianæ nocivum, inceparet: meminister Regis Catholici litterarum sibi primum Prætori missarum; & aliorum Regionum Diplomatū severè prohibentium, ne quovis prætextu, armorum vi in Ethnicorum terras Evangelium induceretur: inconcusso ad hæc Prætore ad bellicam gloriam omnia referente, & speciosum communis boni pallium destinatae expeditioni prætendente. Sed tota vis ad diffundenda Prætoris consilia in Hispanis civibus fuit, Paranensis belli diuturna infelicitate, & Urvaicensis expeditionis magnitudine, deterritis, idèoque odibili militiæ nomen dare renuentibus.

**H**oc metu discuso, Rochus Gonsalvius ad Paranam rediens. Tabacanum, ducentorum circiter Indorum Dominum, sed longè latèque Barbaris authoritate moderantem, quem Prætori ferocientem nuper vidimus, adit; rogatique ut novi oppidi, quod fundare decreverat, ducem acceptato ducali baculo constitui se finat. Sed Barbarus ferociter refragatus vociferatur, se satis Paranen-

Didacum tor-  
res à calum-  
nia vindica-  
tur.

CAPUT  
XIII.  
Prætor Pa-  
raquarie ab  
armorum  
consilio a-  
vocatur.

Ferdinandi  
Aria præcox  
consilium.

Rochus Gon-  
salvius au-  
thoritatem  
interponit.

CAPUT  
XIV.  
Iaguapuani  
oppidi ini-  
itia.  
Tabacanum  
Gonçalvo  
refigit.